Q. D. B. V.

SACRAMENTUM VITÆ ET PACIS INSTRUMENTUM CICUTÆ ET NECIS

ſive

HENRICUM VII. IMPERATOREM ROMANUM,

venenatâ Euchariſtiâ in ipſo feſto Aſſumtionis B. Mariæ tentatum.

PRÆSIDE

DN. JOH. PET. MICH. ROESERO
Hiſtoriarum Sacræ & civilis Profeſſore Publico
in illuſtris CHRISTIAN-ERNESTINI
Collegii

Auditorio Majori

die eandem Mariæ feriam præcedente d. 14. Auguſti Anno Chriſti M. DC. XC.

H. L. Q. S.

Publicè aſſeret

Author & Reſpondens
ADAMUS Degen/ Naylâ Variſcus.

BARUTHI,
Literis GEBHARDIANIS.

58700(17)

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

§. 1.

ALbertô Auſtriaco Romanorum Imperatore, à Johanne fratris ſui Filio, cujus bona tutelæ nomine diutiùs tenebat, ad Schafhuſium ut quidã credunt interfectô, Henricus VII. Lutzenburgicus Princeps non quidem opibus, aſt prudentiâ, animi item magnitudine ac cœteris ampliſſima fortunâ dignis virtutibus ſatis inſtructus, communi Principum Germaniæ ſuffragiô de gente Lutzelburgicâ primus ad Imperii Romano-Germanici dignitatem evectus eſt A. C. 1308. confirmationem verò Pontificis à Cardinalibus (ipſe enim Pontifex tum temporis Avenione Galliæ commorabatur) per legatos Romæ impetrat, eâ tamen conditione, ut intra biennium cum exercitu in Italiam proficiſceretur & coronam imperatoriam à Papâ acciperet, quo deinde præſtito, Henricus Senatum Populumque Romanum omne jus ſuum in imperatorem conferre Sacramento obſtrinxit, ipſe autem Pontifici juramentum præſtare noluit, dicens rem eſſe inuſitati & novi Exempli, Principem & Dominum orbis terrarum ſervo ſervorum fidelitatis dicere juramentum. Quod ſatis commodô compendio exhibet D. Sagitt. in Nucleo Hiſt. Germ. & quidem ſeqq. publicè hactenus explicatis §. 189. 190. addi poteſt Altah. Steron. Annal. ad A. 1309.

§. 2.

Coronâ igitur imperatoriâ impetratâ, copias ſuas movet Tyburtum, & ſeditionem ibi ortam cum compoſuiſſet, Florentinis bellum infert, fœdusque cum Friderico Siculorum Rege magnum aureorum numerum donante init. Robertum verò Neapolitanorum & Siculorum Regem propter crimen Læſæ Majeſtatis proſcriptum ſuique adverſarium debellare ſibi propoſuit. Antequam verò quod in votis habuit, potuit ad finem perducere, venenatâ Euchariſtiæ ſumtione fractus interiit A. C. 1313. de quo

ipſo

ipſo mortis genere plura dicere noſtri jam eſt inſtituti. Videri interim hæc poſſunt in Magno Chronico Belgico, ad An. 1313. item in geſtis Imperatoris hujus per Conr. Vecerium integro libello deſcriptis p.m.467. Addatur, quæ Robertum ferit, proſcriptionis formula ab Henrico noſtro publicè Piſis lata, quam prolixiorem Albericus de Roſato JCtus recitat, & ex eô non tantum Bzovius in Annalibus, verùm etiam Coring. de finib. p.m.80. ſq.

§. 3.

Mancipium & inſtrumentum fuit Monachus quidam ordinis prædicatorum, cujus nomen à quibusdam dicitur *Berhardinus* ſic enim habet in Faſciculo temporum Wernerus Rolewink ætate, VI. nempe Chriſto p.m.84. *per fratrem Bernhardinum de monte Politiano hæc facta feruntur.* Addatur Chron. Car. p.m. 118. velut alii efferunt *Bernhardus* & inter hos *Excell. D. Layr.* im Pabſt-Chron p. 719. *Johannes Politianus* verò adpellatur Johanni Ludovico Gothofredo in Hiſt. Chron. parte 6. p. 605. a. ubi facilior quibusdam videtur in poſteriori nomine cum Wernero conciliatio, quàm in priori vocabulo, quanqnàm & illud paulò obſcurius, quin planè etiam dubium reddi poſſet, quando cum eodem hoc hunc Monachum de Siena ortum crederemus. *Paulinus* denique pluribus vicibus & verſibus canitur & reprehenditur paſſim in capite & calce carminis cujusdam elegantioris & antiquioris, cujus Titulus eſt: *De Imperatoris Henrici VII. obitu, quem F. Paulinus ordinis Prædicatorum inſtinctu Florentinorum in Euchariſtia intoxicavit, Rhythmi in invetuſtiſſimo libro reperti*, non tantùm enim ipſe titulus hanc appellationem præ ſe fert, ſed etiam ſequentes ſtrophæ:

5. Paulinus non ſcientiæ
Indutus non ſcientiæ,
Sed ſpiritu furoris,
Ad nefas minus pavidus,
Sed auri nimis avidus,
Et prodigus honoris.

11. Paulinus non intrinſecus
Paratus ſed extrinſecus
Solennia Miſſarum
Dicturus ſub oramine
Ut Principem libamine
Communicet præclarum.

18. Pau-

18. Paulinus frenum rapiens,
Clam fugam cito capiens
Lateribus equinis
Punctatis cum calcaribus,
Tam fœminis quam maribus
Exponit Florentinis.

21. In grandi ſtat triſtitia,
Exercitus militia
De Principis Ruina
Quam veritas damnabilis
Manusq; deteſtabilis
Coagulat Paulina.

Hæc autem nominum qualiscunque diverſitas, utut à nobis planè tolli nec poſſit nec opus ſit, tamen etiam ſcopo atque ipſi capiti noſtræ tractationis, vel planè non, vel haud multum obeſſe videtur, cum nobis ſufficiat, hos & alios omnes hujus criminis vel teſtes vel Enarratores in hoc ſemper conſentire, quod fuerit quidam ex ordine prædicatorum Monachus, & quidem tanti tamque horrendi ſtupendique ſceleris patrator ſceleſtiſſimus.

§. 4.

Factum autem ipſum utinam nunquam factum hoc fuit, quod dum Henricus more conſveto Feriâ Aſſumtionis Mariæ ſacrâ Synaxi ſibi propoſuit frui, confeſſionariô autem ejus, Epiſcopô Tridentinô ad Clementem V. Pontificem Romanum ablegato, Monachus ſupradictus ex ordine Prædicatorum à Cardinali Pratenſi ad imperatorem cum Teſtimonio viri integerrimi hunc in finem miſſus, ut Sacramentum ei adminiſtraret, Euchariſtiæ venenum lethi ferũ immiſcuerit, & ſic Imperatorem è medio tollere non dubitaverit, cujus vim nimis violentam Auguſtiſſimus Imperator acceptâ cœnâ Dominicâ, mox totâ corporis molle ſenſit, ſtatim ægrotare incipiens, admonitus autem ſvaſionibus Medicorum has inſidiàs uti mirantium, ita omni ſtudiô & curâ depellere laborantium, præbita remedia planè recuſavit, ſentiens & dicens, Religionem ſibi eſſe, ſi Sacroſanctum Domini corpus & ſanguinem vix ore perceptum, iterum turbaret, vel vomitu minus decorô eructaret. Quin ipſum tanti ſceleris tamque manifeſtè ſibi illatæ violentiæ Effectorem, quanquam de ipſius Diabolicâ nullum amplius eſſe poterat dubium malitiâ, nullâ proſecutus vindictâ, imò ne minimâ quidem odii atque iræ terruit vehementiâ, ſed potius quam ipſe ſumere nollet de eo pœnam, ne alii petere poſſent, amiciſſimum cum ipſo ſermonem habens, conſilia & cauſas fugæ ſuppeditavit, & ut hâc vitam ſervaret ille, qui mortis ſupplicio digniſſimus erat, ipſe vitæ ſuæ negligens & proſpicere nolens Imperator inſuper mandavit, corpori denique non tantum inimico hujus, ſed etiam animæ benè cupiens, gratiam & remiſſionem hujus peccati ipſi parricidæ à Deo optavit. Poſt paucos deinde dies ingraveſcente morbô in itinere venenô enecatus occubuit, ita, ut ſigna veneni in cadavere obſervata fuiſſe, multi ſcribant teſte Kranzio lib. 9. Sax. c. 7. Quæ facti hujus

 mo-

momenta ſingula & plura tradunt atque legentibus oſtendunt Hiſtorici fide ſuâ in dubii, ex quibus innumeris potiſſimum huc afferre placuit Henr. Rebdorf. Annal. ad A. M.CCCXIII. p. 417. ex Petrarchæ lib. Aug. ap. Freh. Tom. I. Albert. Argent. in Chronico. Beneven. de Ramb. Imolenſ. in lib. aug. Hiſtoriogr. Cæſ. ab ipſo Vec. cit. p. 13. coævos, quibus addere non dubitamus ipſum Plat. in vita Clem. V. Pont. Rom. ut & Joh. Naucl. Tubing. Præpoſ. Joh. Cuſpin. & alios qui immotâ veritatis confeſſione hanc communionem per Viaticum ex nimiâ Monachi liberalitate Imperatori præter hujus ſpem & opinionem, ſed non præter ejus venena Italorum magis quam arma timentis formidinem juſto citius obtigiſſe & referunt, & de ſceleratiſſimo veneficio querelas juſtas deferunt.

§. 5.

Locum tam fœdæ rei peractione omnibus notandum & pro infauſtiſſimo habendum nominare ſolent Autores præſtantiſſimi communi recenſione *Bonconventum*, in hoc vero leviſſimum imò ſi cogitationibus & minime contortis explicationibus noſtris locus eſſe poſſet, planè nullum obſervare licet inter illos diſſenſum, quod nempè aliis dicatur hic locus *villa* tantum, id quod apertis tradit literis Magnum Chron. Belg. *veniens in villam quæ bonus conventus appellatur, per aliquot dies ibidem emanſit, eôdem locô à confeſſionario ſuo venenum ſumſit* p. m. 287. it. Albertus Argent. σύγχρονος *cum veniſſet ad villam quæ Bonconvent dicitur* ad A. 1313. in Chronico. Nonnullis vero audit *caſtrum & caſtellum* quod indicant verba ſupra citati Henr. Rebd. *prope in caſtro dicto Bonthonienth*. p. 417. cui jungimus Joh. Naucl. Cæſar *venit ad caſtrum quod dicitur Bonconventum*, quod etiam aſſerere videtur Platina. Tandem non paucioribus nec fide ſuâ tàm fruſtrà privandis ſcriptoribus appellatur *oppidum*, & quidem duodecim à Senis milliaria diſtans, ut loquitur Albertus Kranzius, quod nomen etiam exprimit Paulus Lang. in Chr. Citiz. p. 826. Ubi tamen non diffitemur ex his ſimul colligi poſſe, quod vel in itinere ad locum antè & ſæpè nominatum, vel in ipſa Bonconventi obſidione, adeoque potius in caſtris commoratus venenum ſumſerit, ſiquidem & profectionem habet Argentinenſis, & oppugnationem tradit Langius & Platina.

§. 6.

Authores & Svaſores autem, quorum auxiliô & conſiliô tàm execrandum facinus ſuſceptum fuerit, quinam extiterint, uti neceſſarium eſt inquirere, ita etiam non æquè planum atque perſpicuum eſt, eorum certa & indubita apponere nomina, ſiquidem ab aliis tanti facinoris accuſari ſolent *Senenſes*, item *Gvelphi*, ab aliis verò alii. Nos nulli horum opinioni contradicimus ſi *Florentinos* hujus ſceleris Authores ſtatuimus. Senenſes enim quod attinet, conſtat illos cum Florentinis palàm iniiſſe Fœdus contrà ipſum Henricum, cui tamen utpote totius imperii ſummo capiti obedientiam jurare & præſtare debuiſſent; & cum hoſte publi-

blico jamque proſcripto Roberto nempè Apuliæ Regulo arma ſua ſceleratiſſima atque injuſtiſſima conjunxiſſe. *Gvelphi* verò imperatorum hoſtes atrociſſimi in variis civitatibus Italiæ degebant,& imprimis etiã Florentiæ non infimum obtinebant locum. Ab his ergò ipſis *Gvelphis* Florentini proceres contra Imperatorem ſemper concitati, ad extremam hanc perniciem Germano inferendam procul dubio conſilia & animum acceperunt,ut inde *Florentini* potiorum & plurium Hiſtoricorum conſenſu ad ſcelus hoc omnem attuliſſe mentem & operam dicantur, id quod teſtatur Chron.Car.L.V.p.117. Autores etiam multò antiquiores & Henricianis temporibus proximi,inter quos non infimus nec fidei integritate privandus Paulus Lang. in Chron. Citiz. multis nominibus laudatiſſimo & quidem ad annum M.CCCXIII. p. m. 826.itemq; Beneven.Imolenſ. in L.Auguſt.p.13.*opera Florentinorum ut in fama fuit venenatus mortuus eſt optimus Imperator*.Conſentiunt etiam verſus illi & ſtrophæ vetuſtiſſimorum quorundam Rhythmorum in antiquo libro repertorum ap.Freh.T.1.App.p.15.Stroph.347.

3. *Gens fremens in* Florentia
(Quam tangat Peſtilentia,
Quam dictat in Monarcham:
Ut corruat peſtifere
Intereat mortifere
Theſauri pandens arcam.

4. *Paulinum quendam variis*
Corrumpit cum denariis
Quam pluribus florenis &c.

7. *Hæc turpis colligatio*
Quam Florentina Natio
Sic colligat nefanda &c.

Imo ipſe Platina. Naucl.Alb. Cranz.Jac.Meyerus in Chron. Flandr. Joh.Belca,ut tamen non reticeamus,ab aliis Authoribus adjutores Florentinorum nominari ipſum Robertum Apuliæ Regulum & Principem Tarentinorum juxta magnum Chron. Belg. in hoc anno & facto p. m. 287. præter hos etiam Philippum Galliæ Regem & ſanctiſſimum Clementiſſimumq;,ſi quo ad cœtera placet, Clementem V.Pon.Rom.arma mox Herrico illaturum, auſus eſt prodere Joh. Belca in rebus Hollandiis,cujus Hollandicam Fidem à Bzovio tantopere elevatam fulcire quidem hôc in capite facile poſſemus cum Excell.Sagitt.§.190.

§. 7.

Varia autem variorum Autorum eſt opinio de intoxicatione Euchariſtiæ, quidam enim dicunt *in calicem fuiſſe immiſſum venenum* ut it Henr.Rebd. in Annal.ad annum 1313. & Alb.Argent. *quòd prædicator venenum poſt communionem potui Cæſaris immiſiſſet*. It.Henr. Stero Alth.in Annal.per *pœnitentiarium extinctum eſſe Imperatorem immixtô in calicem veneno*.p.407. quibus accedere coguntur omnes illi,qui Symbolum Imperatoris noſtri ſtatuunt fuiſſe tale: *Calix vitæ calix necis:* quidam verò autumant *hoſtiam fuiſſe intoxicatam*, ut Ptolemæus Lucenſis *in ſpeciebus corporis Chriſti*, ſubjungens inter alios hunc verſum,

Per corpus Chriſti venenum tradidit iſti;

ap.

ap.Bzov.S.XIV. ad A. 1313. n.17. Jac.Mey.Annal. Flandr.*Sacroſanctum corpus cum veneno Imperatori miniſtrabat ſceleratiſſimus*.It. Dreſſ.Iſag. Hiſt.650.Gottfr. l. c. & P. Martyre Vermiglii Florentino Diſcorſo de l' Sacramento de l' Euchariſtia p.m.146. Alii verò utramque amplectuntur ſententiam,prouti Joh.Cuſpinianus *hoſtiam & calicem ſimul veneni Monachum infeciſſe* ſcripſit in vita Cæſ. Aliqui verò nulli harum accedentes,nec expreſſe aliquam ſpecierum nominantes, indeterminatè & generaliter nobiscum *in Sacramento Euchariſtiæ hoc factum* dicunt ut Petavius Ration. Temp.p.m.582.ex Blond.Dec.2.& Villan.Nauclerus primò indefinitè loquens ſub ſpecie Sacramenti venenum datum, poſteà autem calicem vitæ calicem necis factum credens,ad Sanguinem & poculum Chriſti reſtringere videtur hoc factum. Num verò in ablutione calicis venenum fuerit immiſſum, quod ſtatuit Henr. Rebdorf. ſæpe citatus,num venenô ſub ungue celatô digitum ſubitò potui immerſerit,quod ſvadet Albertus Argent.Sec.XIV. Hiſtoricus,an denique idem lethale virus digito adhærens hoſtiæ Sacratæ verſi pellis vipera illeverit,nunc divinare non opus eſt; quemadmodum etiam, quale fuerit venenum ſcilicèt Chronicum aut naturale, an acutum vel artificiale , & quomodo hoc differat ab elementari,vegetabili , minerali animus non eſt diſquirendi,quem verò nomina & varia veneni genera ſcire juvat atque delectat,adeat D.Benj.Scharf.Tr. de venenis & alios, cui verò magna hujus materiæ volumina deſunt,in compendio invenire hæc omnia poterit in Diſſertatione Phyſica de venenis M. Joh. G.Rœſeri Fac. Phil. Adſcripti Witteb.per tot.impr.Sect.IV.

§. 8.

Temporis notationi inſerviet, quod abſque omni contradictioni ſuſpicione rerum & annalium conditores ad unum non tantum Seculum,à reparatâ per inſtitutionem hujus cœleſtis cœnæ ſalute Decimum Quartum certo certius prodiderint,verum etiam annũ ſolicitè non minus atque explicitè nominaverint,eodem numero & ordine Decimum tertium, in quo unum omnes calculum duxiſſe dum curioſè notamus, ita magis Studioſè ipſum etiam eundemque diem in faſtis cæteroquin atro potius quam rubrô ſignandum colore ab omnium temporum & locorum ſcriptoribus ferè adſcriptum obſervamus, nimirum quod die Aſſumtionis B.Mariæ , qui communiter XV. Auguſti menſis ſed ſiniſtrum his Imperatoribus omen præbentis, complet , inter ipſa Sacra & per eadem, impiiſſimum hoc ſcelus patratum fuerit. In quorum dictorum meorum fidem aſſurgunt, non modò publici illorum & proximè ſequentium, temporum factorumque Conſignatores,ſed etiam tanquam notiſſimæ & plusquam certiſſimæ veritati accinunt Poetæ illius & cujuscunque ferè ætatis,quorum quidam graphicè per verſus ſuos ita modulatus eſt: *Anno milleno Tricenteno Terdeno.*

S.D.G.